

Dominica VII post Pentecosten (1962)

Ant. ad introitum Ps. 46, 2

Omnes gentes, plaudite manibus: iubilate Deo in voce exsultationis. Quoniam Dominus excelsus, terribilis: Rex magnus super omnem terram.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Romanos. Rom. 6, 19-23

Fratres: Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestrae: sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiae et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiae in sanctificationem. Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis iustitiae. Quern ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam. Stipendia enim peccati, mors. Gratia autem Dei, vita aeterna, in Christo Iesu Domino nostro.

Graduale Ps. 33, 12 et 6 Venite, filii, audite me: timorem Domini docebo vos. V. Accedite ad eum, et illuminamini: et facies vestrae non confundentur.

Alleluia, alleluia. V. Ps. 46, 2 Omnes gentes, plaudite manibus: iubilate Deo in voce exsultationis. Alleluia.

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum. Mt. 7, 15-21  
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: a fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere. Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum.

Ant. ad Offertorium Dan. 3, 40

Sicut in holocaustis arietum et taurorum, et sicut in milibus agnorum pinguium: sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi: quia non est confusio confidentibus in te, Domine.

Ant. ad Communionem Ps. 30, 3 Inclina aurem tuam, accelera, ut eripias me.

Dominica XIV per annum (post-Vatican II)

Liber Isaiae 66:10-14c

Haec dicit Dominus: Laetamini cum Ierusalem et exsultate in ea, omnes, qui diligitis eam; gaudete cum ea gaudio, universi, qui lugebatis super eam, ut sugatis et repleamini ab ubere consolationis eius, ut mulgeatis et deliciis affluatis ex uberibus gloriae eius. Quia haec dicit Dominus: "Ecce ego dirigam ad eam quasi fluvium pacem et quasi torrentem inundantem gloriam gentium. Sugetis, in ulnis portabimini, et super genua blandientur vobis. Quomodo si quem mater consolatur, ita ego consolabor vos; et in Ierusalem consolabimini. Videbitis, et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt, et manifestabitur manus Domini in servis eius.

Psalmus 66: 1-3, 4-5, 6-7, 16, 20

Iubilate Deo, omnis terra.

Iubilate Deo, omnis terra, psalmum dicite gloriae nominis eius, glorificate laudem eius. Dicite Deo: "Quam terribilia sunt opera tua. Prae multitudine virtutis tuae blandientur tibi inimici tui.

Iubilate Deo, omnis terra.

Omnis terra adoret te et psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo". Venite et videte opera Dei, terribilis in adinventionibus super filios hominum.

Iubilate Deo, omnis terra.

Convertit mare in aridam, et in flumine pertransibunt pede; ibi laetabimur in ipso. Qui dominatur in virtute sua in aeternum, oculi eius super gentes respiciunt; rebelles non exaltentur in semetipsis.

Iubilate Deo, omnis terra.

Venite, audite, et narrabo, omnes, qui timetis Deum, quanta fecit animae meae. Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam et misericordiam suam a me.

Iubilate Deo, omnis terra.

Ad Galatas 6:14-18

Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Neque enim circumcisio aliquid est neque praeputium sed nova creatura. Et quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia et super Israel Dei. De cetero nemo mihi molestus sit; ego enim stigmata Iesu in super corpore meo porto. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro, fratres. Amen.

Alleluia. Pax Christi exsultet in cordibus vestris verbum Christi habitet in vobis abundanter. Alleluia. (Ad Colossenses 3:15-16)

Evangelium secundum Lucam 10:1-12, 17-20

Post haec autem designavit Dominus alios septuaginta duos et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: "Messis quidem multa, operarii autem pauci; rogare ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Ite; ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum neque peram neque calceamenta et neminem per viam salutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: "Pax huic domui". Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illam pax vestra; sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete edentes et bibentes, quae apud illos sunt: dignus enim est operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate, quae apponuntur vobis, et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis: "Appropinquavit in vos regnum Dei". In quamcumque civitatem intraveritis, et non receperint vos, exeuntes in plateas eius dicite: "Etiam pulverem, qui adhaesit nobis ad pedes de civitate vestra, extergimus in vos; tamen hoc scitote, quia appropinquavit regnum Dei". Dico vobis quia Sodomis in die illa remissius erit quam illi civitati. Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio dicentes: "Domine, etiam daemonia subiciuntur nobis in nomine tuo!". Et ait illis: "Videbam Satanam sicut fulgur de caelo cadentem. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones et supra omnem virtutem inimici; et nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subiciuntur; gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in caelis".